



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesisius

Sammieli, 1613

Liber Tertivs de Pœnitentiæ sacramento & eius partibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

LIBER
TERTIVS.

*De Pœnitentiæ Sa-
cramento, et) eius
partibus in
speciali.*

Quid sit Peccatum.

Caput I.

Q Vinque de Pœnitentiæ Sa-
cramento tractatur: Mate-
ria Forma, Minister, Pœ-

K

nitens, & Effectus. Materia illius remota sunt Peccata. Peccatū vero * est recessus, à regula diuina voluntarius. Recessus, quia peccatū est deuiatio quædā. Per diuinam verò regulā quodlibet præceptū intelligi debet, scil. supernaturale, vt de fide habēda & Sacramētis Naturale, quod omnia decalogi Præcepta cōprehēdit, Humanū quale est, quod lege humana, vel superiorū obseruantia nobis est præceptū, & ad Dominū ordinatur. * (Volūntaria) tria importat: primū vt à voluntate procedat. & imperetur: * Secundū quod sit ex deliberatione ac in nostra potestate, nempe vt liberum dicatur, non ex necessitate, vel vehemēti passionis impulsu. Tertium vt homo sciat se agere contra talem regulā: si enim ignorantia inuincibili labore, excusatur à peccato.

De peccatorū differētia. Cap. 2

Dividitur primò peccatum in mortale, & veniale, mortale est contra regulam prædictam, vt homicidiū: Veniale est præter regulam: vt quando etſi quis non faciat planè contra præceptum, facit tamè quod in Deum non est ordinatū, vt mendaciū iocofū. Mortale ex genere, dupliciter fit veniale, ex leuitate materię, & ex imperfectione actus voluntarij: Veniale fit quoque mortale quando in eo ponitur vltimus finis, vel ad mortale ordinatur, vel ſi fit cauſa peccati mortalis, vel fiat ex conſcientia erronea, qua quis putat mortale quod eſt veniale. Vtrūque peccatum bipartitur in peccatū omiſſionis & cōmiſſionis, & in peccatum cordis, oris, & operis quod tamè eſt idē peccatū ſed varijs conſtans gradibus augmenti.

De partibus eſſentialibus peccatorū, & effectibus eorūde. Cap. 3.

IN peccato sunt duo, vnum tãquam materia, actus seu operatio, alterum tãquam forma, & est recessus ipse à regula diuina in quo recessu, seu carentia rectitudinis, præcipit quando peccatum est mortale duo considerantur, auersio à Deo & conuersio ad creaturam, effectus similiter duo, macula, quæ est priuatio gratiæ, & reatus, qui est obligatio ad pœnam æternam, & hæc est duplex damni, & sensus. Mortale est materia necessaria confessionis. s. Th. 3. 84. 2. Veniale verò non necessaria, sed sufficiens. Trid. sess. 14. c. 5.

Quid Contritio, & Attritio.
Cap. 4.

Materia propinqua sacramenti pœnitentiæ sunt Contritio, Confessio, & satisfactio seu peccatũ ipsum quatenus iis subiicitur partibus. Con-

tricio est * præteriti peccati : vt est
Dei offensa : voluntaria super om-
nia detestatio , cū proposito futu-
ra super omnia vitandi, & commis-
sa confitendi. Hæc detestatio in
generali sufficit, dummodo diui-
no nitatur auxilio , non viribus
propriis humanis , si desit aliqua
pars prædictæ definitionis, nō erit
contritio , sed attritio : vt si quis
detestetur peccatum nō vt est Dei
offensa, sed quia animæ pœna, &
supplicii, vel si nō detestetur super
omne detestabile, vel firmum non
habeat omnia futura vitandi pro-
positum saltem virtuale. Inter cō-
tritionem, & Attritionem hoc di-
stat, quod cōtritio per se , & sacra-
menti voto delet peccatū mortu-
le & causet gratiam, quod quidem
attritio ex se efficere nō potest, sed
tantū vt coniungitur sacramento
quod tamen adhuc non omni at-
tritioni, sed tantū veræ conuenit.
Concilium Trid. sess. 14. Cap. 4.

De quibusdam dubiis cum solutionibus circa contritionem. Cap. 5.

Non est venialium necessaria cōtritio, sed mortalium cōmissorum, quæ alias per contritionē deleta non sunt. Rursum probabilius cum multis dicitur non esse necessarias singulorum mortalium contritiones, sed vnam generalem omnium sufficere. Dicunt aliqui quod homo de peccato mortali tenetur statim contreri, cum primum eius recordatur verum probabilius cum aliis dicitur quod nō, modò cū in mentem, venit complacentiam fugiat. Contreri ergò tenetur, cum Sacramentum recipere, vel administrare debet, aut graue mortis imminet periculum, de quantitate verò doloris necessarii ad peccatorū remissionem, dicendum quemlibet suffi-

cere, modo sit vel includat detestationē peccati super omne detestabile, nepe quia tali cōtritioni semper adiuncta est gratia habitualis.

Quid sit confessio. Caput 6.

Confessio * est actus hominis exterior, propriorū peccatorū, cum sui accusatione in foro spirituali & secreto manifestatiuus. Cū pœnitens potest, debet proprio verbo & ore peccata exprimere, vel signo, aut nutu ut mutus, potest etiā per interpretem, si est linguæ ignarus, nā talis confessio est licita pœnitente. sicut etiā illa quæ ita fit scripto ut pœnitens scribat, & confesarius legat, annuente pœnitente. Nullus tamen ad eam tenetur, sicut neque ad illam per interpretem, quia de se est publica, cū quod scripto mandatur ex se sit permanens. Confessio verò per

nuntium, vel litteras absente pœnitente, illicita, & inualida est.

De conditionibus valida confessionis. Cap. 7.

Sexdecim communiter assignari solent confessionis sacramentalis cōditiones, quarum tamen hęc quatuor tantum necessarię videntur. *Prima est, ut sit integra, *Secunda diligēs, *Tertia fidelis, *Quarta obediens. Integritas ex peccatorum numero & grauitate est attendenda, ita ut singula mortalia precisè explicentur eorumque grauitas, quod si pœnitens non recordetur precisè numeri, addat sub dubio, fortè paulò rarius aut frequentius, vel certe tempus designet & consuetudinem peccandi, & eodem pertinet ut qui dubitat an peccatum aliquod sit letale, hoc exprimat, alioquin cōfessio non est integra.

Circumstantiæ actus peccati hoc
versu continentur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis,
Quoties, cur, quomodo,
quando.

Que in istis quinque casibus dun-
taxat sunt exprimendæ. * Primo,
quâdo circumstantia facit actum
esse peccatum mortale, quod alias
erat veniale. vt si quis dicat ver-
bum iocosum vt alter occidatur.
* Secundo quando circumstantia
mutat speciem, vt furari in Eccle-
sia. * Tertio quâdo peccatum mor-
tale multiplicatur, vt si quis fure-
tur, vt adulteretur, sunt enim duo
peccata, furtum videlicet & adul-
terium: vel qui habet votum ca-
stitatis, fornicetur, quod etiam ha-
bet locum in actibus internis, vt si
quis desideret virginem aut con-
iugatam. * Quarto quando pec-
catum habet excommunicationem
annexam. * Quinto quando resti-
tutio est facienda tertiæ personæ

vt si iuratus est decem, cē:um, vel mille aureos.

Quibus casibus confessio non integra, est valida. Cap. 8.

Q Vinque sunt casus in quibus confessio non integra, est valida: * Primus est, cū quis post diligētem discussionem, oblitus aliquod mortale, illud non confitetur, quod tamen si postea memorię occurrerit confiteri debet: sed statim post communionem non est necessarium, quin imo potest illud seruare in sequentem annum. * Secundus, Infirmus moriens, nōdum omnia peccata, ore, vel nutibus confessus, est absolueudus, si aliqua prius narrauit, quin etiam & ille, qui ante confessarium petiit, & eo adueniente iam sensum perdidit, absolui poterit quemadmodum & mutus qui non potest omnia confi-

teri. * Tertius ; Quando pœnitens
habet casus referuatos cum ex-
communicatione, ab excommu-
nicatione prius vt absoluator o-
portet, si autem sine excommu-
nicatione, potest quidem primo
inferiorem adire, debet tamen ei
etiam referuata confiteri, quo fa-
cto poterit Sacerdos a non refer-
uatis eum absoluere, ac deinde ad
superiorē, vt à referuatis absoluat-
ur mittere qui superior posset e-
tiam primo auditis referuatis, ab
iis tantum absoluere, ac deinde
pro non referuatis ad inferiorem
eum mittere. Consilium tamen
optimū est, quod à superiore pri-
mo absoluator ab omnibus, vel
ab eo facultate obtenta ab inferio-
ri etiam à referuatis absoluator.
* Quartus. Si ex aliquo peccato
vel illius circumstantia in confes-
sione manifestata, pœnitenti vel
confessario, aut tercię personę a-
liquod graue damnum immine-

ret, tunc si alius confessarius haberi non poterit, aliis confessis, illud peccatum, vel illam circumstantiã dissimulare poterit donec cõmodè alteri confiteri possit, secus tamen quando illud damnum non esset aliud quã infamiæ tertiæ cuiusdem personæ apud confessarium, & persona illa huiusmodi esset vt ea non declarata nõ posset declarati peccatum, tunc enim integrè esset confitendum quicquid alii dicant in contrariũ. * Quintus casus & vltimus est, cum pœnitens aliqua vel mortalia alias confessa, vel venialia numquam confessa omittit, nimirũ quia hæc non sunt de necessitate confessionis.

De tribus aliis qualitatibus Confessionis. Cap. 9.

Secunda cõditio confessionis est, quod sit diligens, seu dili-

genti discussione facta, pro conditione personæ & tempore ex quo confessa est, nam si ex defectu huius accuratæ discussionis aliquod mortale pœnitens in confessione obliuisceretur, confessio esset irrita, & iteranda. * Tertia quod sit fidelis, id est sine vlllo mendacio, ita vt nullum peccatû falso addatur, aut ex certa scientia negetur sed dicantur dubia pro dubiis, certa que pro certis. Mendacium tamen de veniali re, nunquã mortale est. * Quarta & vltima circumstantia est, quod pœnitens sit obediens confessario, & in omnibus parere paratus, satisfactionis pœnam libenter acceptando, & peccatorum occasiones fugiendo, ad quæ confessarius potest pœnitentem obligare. Trid. sess. 114.

Quibus in casibus confessio sit iteranda. Cap. 10.

NOuem datur præcipui casus, in quibus confessio est iteranda. * Primus est ex parte pœnitentis, vt si sciens se maiori aut minori excommunicatione irremittibilem ad confessionem accedit, & peccatorum absolutionem scienter recipit, antequam ab excommunicatione absoluator: nã si ignorantia inuincibili accessit, valida fuit confessio, & non iteranda. Ex parte confessarii sũt tres casus: * Primus, quando non habet ordinariam .vel delegatam absoluendi facultatem, nec est expresse approbatus ab Episcopo. Concil. Trid. sess. 23. c. 15. * Secundus quando (extra extremam necessitatem) idem confessarius est nominatim excommunicatus vel clericus publicus percussor. * Tertius, si sit pœnitentis ignarus ita vt non possit discernere inter peccatum veniale aut mortale, idque absolute, vel

respectu pœnitentis, vel nesciat
formam absolutionis. Ex defectu
contritionis tres alii dantur casus.
*Primus, quando pœnitens sine ul-
lo dolore, & detestatione ad con-
fessionem accedit. *Secundus, quã-
do propositum vitandi peccata in
futurum non habet. *Tertius, si nõ
contritum vel sufficiẽter attritum
[qualis est attritio ob pœnas infer-
ni ex Tridentino. sess. 14. Cap. 4.]
se ad confessionem accedere nõ
uit, nam si verè non esset & tamen
se satis dispositũ existimaret, non
esset iteranda confessio, sed defe-
ctus cognitus eidem confessario
esset aperiendus. Ex parte con-
fessionis vnicus datur casus, cum
videlicet integra non fuit, excep-
tis tamen casibus supra Cap. 8.
positis, vt si quis sponte peccatum
aliquod prætermiserit vel ex cras-
sitate ignorantia. *Nonus & viti-
mus est, ex parte satisfactionis, cũ
pœnitens ad confessarium accedit

animo non satisfaciendi, vel non obediendi, in quibus obedire tenetur. Illud tamen sciendum, quod si iteranda est confessio, & alteri facienda confessario, omnia iterum sunt ei accusanda: si verò fiat eidem sufficere omnia repetere, si confessarius talis pœnitentis statum, peccata, aut pœnitentiam impositam recorderetur.

De satisfactione. Cap. II.

Satisfactio est * offensæ præteritæ quo ad pœnam recõpensatio. Sacramentum namque abstergit generaliter maculam per gratiæ infusionem, tollitur verò etiam ipsa pœna, sed non semper tota, manet enim ut plurimum pœna temporalis in hoc mundo, vel purgatorio implenda. Ex Concilio Tridentino sessione 14. capit. octavo. Cæterum tria sunt opera quibus mediantibus fieri potest

talis recompensatio, ieiunium
 Eleemosyna, & Oratio. Ultra sa-
 tisfactionem autem à Confessa-
 rio pœnitenti impositam, potest
 quilibet aliam sibi addere, vel eã-
 dem sibi augere, sed prior maio-
 ris est efficaciz, illa siquidem in
 mortali facta non iteranda est, nã
 etsi tunc Deo non satisfacit, po-
 stea gratia accedente, reuiuiscen-
 do satisfacit, hæc autem nunquam
 reuiuiscit. Debet igitur confessa-
 rius hanc satisfactionis pœnam
 pœnitenti imponere, & pœnitens
 tenetur eandem acceptare, & ad-
 implere, si potest, potest autem
 extra articulum mortis. Hæc ve-
 rò pœnitentia debet esse tam per-
 sonæ pœnitentis quam grauitati
 peccatorum illius proportionata,
 nisi quod minui possit I. ratione
 contritionis, si vehemens deprehen-
 datur in pœnitente. Secundo, ra-
 tione indulgenciæ vel iubilæi quod
 tunc sit. *Tertio si metus sit ne pœ-

nitens non impleat. * Quarto si sit debilis vel senex. * Quinto si imponantur illi opera alias debita. Ceterum etsi vnus Confessarius non possit pœnitentiam ab alio positam sine causa mutare, quãdo tamen aliqua subest, potest, & mutare & minuere, neque necesse est vt pœnitens confessionem illi repetat. Quamuis autem possit alter pro altero satisfacere de licentia Confessarii, hæc tamen sine rationabili causa nequaquam debet dari.

De Absolutione. Cap. 12.

Sacramenti huius Absolutio, quæ & forma nũcipatur, est hæc. Ego te absoluo a peccatis tuis. Ex quibus necessaria tantum sunt, Te absoluo, si quis tamen sine causa cetera relinqueret, grauius peccaret. Ex quadã pia consuetudine solent aliqua ante addi-

vt Misereatur tui, &c. & aliqua
 post; vt Passio Domini nostri Ie-
 su Christi, &c. Absolutio cum ra-
 tihabitione facile danda non est,
 nec si detur cum cōditione de fu-
 turo valet, sed tantum de præsenti,
 vt si ita res se habet, vt narratur;
 vel de præterito, vt si hoc tecisti,
 ego te absoluo. Huiusmodi tamen
 conditiones non sunt inter verba
 formæ apponendæ, sed potius an-
 te pœnitenti aperiendæ. Melius est
 ante absolutionem pœnitenti ig-
 noto satisfactionem imponere: no-
 to verò, & obedienti etiam post
 sine periculo poterit imponi. In
 vna eademque peccatorum con-
 fessione vna impendenda est ab-
 solutio, sed si de eisdem peccatis
 plures fiant confessiones, vt cum
 quis iterum eadem peccata confi-
 tetur, vt in confessione generali
 potest ab eisdem peccatis sæpius
 absolui.

De Confessario. Cap. 13.

L ij

Quatuor in Confessario requiruntur cōditiones. Ordinis potestas: Iurisdictio non impedita: proprietas, & sciētię facultas: *Primo nāque in quolibet Confessario necessarius est ordo sacerdotalis. quare confessio laico facta nulla est, & ad eā nullus tenetur. *Secundo, Necessaria est Iurisdictio, saltem in foro interiori, & est triplex. Ordinaria, delegata, & iure concessa. Prior est in Episcopo, & Curato, delegata in iis, qui ab illis illam acceperunt. Iure concessa est in his, qui Apostolicū habent Diploma. Requiritur *Tertio, proprietas, id est, quod sit proprius Sacerdos pœnitentis, seu habens Iurisditionem in ordine ad pœnitentem ratione sui officii, talis enim confessarius duntaxat proprius dicitur, ut Parochus in sua Parochia, Abbas in suo Monasterio, Episco-

pus in sua Diœcesi, Papa in Vr-
be, & Orbe. Quilibet autem pœ-
nitens proprio confiteri debet
Sacerdoti, nisi alteri confiteatur,
qui delegatam, vel iurisdictionem
ex officio habeat, Prælati tamen
omnes habent à iure sibi confessa-
rium eligendi facultatem. Cardi-
nales autem, qui Episcopi non
sunt, nec legati, non habent hâc
potestatem à iure, quia propriè
prælati non sunt: sed habent ex
privilegio. Quidam dicunt Sa-
cerdotes omnes inter se posse
mutuo confiteri ex quadam con-
suetudine, & tacita Episcopi,
vel Parochi licentia, sed nunc non
habet locum hæc opinio, cum
Concilium Tridentinum Sessio-
ne 23. Capite 15. contrarium
decreuerit. Sunt tamen sex ca-
sus, in quibus licet etiam non
proprio Confessario confiteri.
*Primus est, ex facultate proprii,
cuilibet approbato ab Episcopo.

*Secundus. Cum quis habet Bullas, vel Diplomata non abrogata. *Tertius. Vagabundi qui nullum habent certum domicilium, Peregrini, viatores, & studentes extra propria loca & domicilia, tunc enim ei tenentur confiteri, in cuius sunt iurisdictione & possunt ab eo absolui à casibus qui erant reseruari suis Episcopis nisi etiam reseruari essent ab Episcopo loci. *Quintus. Cum quis confitetur Pœnitentiariis Romæ constitutis vel confessariis habentibus privilegium & approbatis ab Episcopo. *Quintus. Quando confessarius proprius est indoctus, vel sollicitator ad malum, seu confessionis reuelator, petenda tamen est à proprio licentia, nisi sit ignarus, quam si neget potest alius adiri. *Sextus. In mortis articulo in quo quidem confessio etiam facta non approbato erit valida.

*Deiis à quibus proprius Confes-
sarius absoluit, & casibus
reservatis. Cap. 14.*

Curatus ab illis absoluit pec-
catis, & censuris, quæ ma-
ioribus Prælati non fuerint
reservata. Episcopus ab omnibus
Papæ non reservatis. Papa verò ab
omnibus peccatis & censuris ubi-
que & semper, nec ei reservantur
peccata vlla, nisi censuram anne-
xam habeant, ut supra est dictum:
Quare cum Papa dat priuilegium
soluendi à casibus Papalibus, dat
etiam ex consequenti facultatem
absoluendi à censuris, quibus ab-
latis, probabile est Curatum
quemlibet posse à talibus pecca-
tis absolvere, etiamsi alias essent
Episcopo reservata. Episcopis re-
servantur peccata cum censura, &
sine censura, & de iure hæc illis re-

seruantur. * Primo. Votorum dispensatio, papalibus omissis, Iuramentorum relaxatio : & aliquarum Irregularitatum, & excommunicationum non papalium. * Secundo peccatum Incendiariorum, qui sunt etiam excommunicandi, sed post excommunicationem tale peccatum reseruat Papæ. * Tertio, peccatum notorium : propter quod antiquitus publica pœnitentia iniungebatur, vt concubinatus notorius, blasphemia, quod tamen probabiliter aliqui negant, cum numeralis pœnitentia non sit in vsu. Ex communi consuetudine videntur etiam reseruari homicidia, mutilationes reales, crimen falsariorum, & eorum qui falsum in iudicio iurant contra aliquem, vel tacendo verum, vel dicendo falsum, ac eorum qui falsas scripturas faciunt. Sacrilegia pariter : rapinæ rerum Ecclesiasticarum.

rum: Diuinationes, Incantationes, ac Dæmonum inuocationes. Pœnitentarii vero Romæ ab iis omnibus absoluunt, & etiã ab omnibus excommunicationibus Episcopis reseruatis: & ab aliis censuris, & votis, à quibus nec ipsi Episcopi absoluunt.

De scientia Confessarii. Cap. 15.

Scientia est quarta conditio confessariis necessaria, vt supra Cap. 13. tactum est. Est enim iudex ipse confessarius fori interioris, ideò eorum, quæ in suo foro accidunt, peritiam habeat necesse est. Scire auté debet, quæ peccata mortalia, quæ venialia fuerint ex suo genere, & circumstantias peccatorum necessarias, & inter mortalia, quæ habent excommunicationem annexã, quæ restitutioni pecuniæ, damni illati, & famæ obnoxia: Contractus

illicitos usuræ, & simoniæ. Quæ
absolutionis impedimenta quibus
in casibus confessiones valide
vel repetendæ fuerint. Non
tamen omnes confessarii eadem
scire tenentur. sed qui in ciuitati-
bus plurium & magnorum mer-
catorum confessiones audiunt,
plura etiam scire debent & saltem
debent scire dubitare. Scientiæ
addenda est prudētia ad remedia
opportuna præscribenda, & san-
ctitas, nam qui in mortali pecca-
to confessiones audiunt, morta-
liter peccant.

*De sigillo à Confessario obser-
uando. Cap. 16.*

Sigillum est obligatio occultā-
di peccata quæ in confessione
sunt cognita. Quæ enim in cō-
fessione habentur, etiam venia-
lia, circumstantiæ, ac defectus
qui ad famam pertinent, tegenda

sunt semper. Quare confessorius nec in generali dicere potest, audiui mortalia peccata Ioannis. Venialia verò in generali manifestari possunt. Quando vero pœnitens non accusatur in speciali, etiam mortalia reuelari queunt, si fieri sine scandalo possit. Quod si pœnitens det licentiam cōfessario, vel extra confessionem eadem peccata cognouerit: pœnitentem tunc confessorius poterit prodere, ac propalare, quamuis ne quidem in hoc secundo casu, possit dicere se audiuisse in confessione. Sed alias nunquam, etiamsi totius ciuitatis, vel Reipub. immineret ruina, aut sub iuramento, vel mortis pœna à iudice cogeretur. Est enim tanta huius sigilli obligatio, vt extra confessionem, ipse confessorius non possit pœnitentem alloqui de peccatis in confessione auditis. Ad hoc sigillum tenentur omnes, qui pecca-

ta in confessione tantum manifestata, nouerunt, etiam qui à Sacerdote reuelante, vel ex curiositate, seu malitia immediatè in confessione audiuerunt.

De Examine à Confessario faciendo. Cap. 17.

VT Confessarius multorum pœnitentium inscitia suppleat, debet eos diligenter examinare ante confessionem, in confessione, & post ipsam confessionem. * Primò ante cõfessionem ea petat, quæ absolutionem, vel cõfessionem ipsa impedire possent, quæ sunt septem. * Primum locum tenent casus, & censura reservata, quare de iis primò pœnitentem examinabit, & si habebit huiusmodi casus, prius ipse impetret absoluendi facultatem, vel certè ad superiorem, pœnitentem mittat, vt ab eo absoluaatur.

*Secundò, petet Confessarius an pœnitens habeat aliquod pecuniarum, vel famæ restitutionis debitum, aut votum, & sit in solutionis mora. *Tertio, de pœnitentis statu, an videlicet solutus, vel conjugatus, seu Ecclesiasticus sit, si solutus, an promiserit se ducturum vxorem, & impedimentum aliquod habeat. Si conjugatus, an habitet cum vxore, vel non, & iustam habeat causam, alioquin non esset absoluendus, sicut nec Clericus, qui plura retineret beneficia curata, vel simplicia sine Papæ dispensatione, vel non resideret. *Quarto, quandiu non sit confessus, si annum excesserit, aut aliquod peccatum in præteritis confessionibus celauerit. *Quintò, Si diligenter conscientiam propriam examinauerit. Sexto. Si doceat de peccatis, & abstinendi propositum habeat. *Septimo, an sciat fidei articulos, & Decalogi præ-

cepta, nam hæc sub mortali quilibet tenetur scire, & nescientes non sunt absoluedi, nisi cogantur quamprimum illa addiscere.

De iis, quæ in confessione sunt examinanda. Cap. 18.

NVllo modo Confessarius pœnitentē interroget, nisi prius ea, quæ ipse nouit, vel memoria tenet, humiliter accuset, nam si de peccatis antea non cogitauit, est dimittendus, si cogitauit, fieri non potest, quod aliorum non recordetur. Ignaros autem pœnitētes prius interrogabit de circumstantia peccati specie mutante, vt si percussit laicum, vel clericum, in loco sacro, nec ne, & an animo occidendi, an non, & an hoc vel illud existimaret esse peccatum mortale, nec ne. Hinc de peccatorum numero, si actus sit interior, vel exterior, de occa-

tionibus peccatorum, de tempore,
& frequentia, atque aliis, prout cō-
ditioni, & pœnitentis salutis con-
fessarius expedire nouerit.

*De iis quæ post cōfessionem sunt
examinanda. Cap. 18.*

NE pœnitens in peccatorum
discussione, aliqua ex igno-
rãtia, vel memoriæ defectu
imprudēter omittat, poterit etiam
confessione ab illo facta, confessa-
rius aliqua interrogare. Primū an
pauo sine fecerit, quæ de se bona
erāt, si habuerit animū aliqua pec-
cata cōmittere, quæ ex impotētia,
vel timore postea non cōpleuerit
nū alios etiā suo exēplo, vel verbo
ad peccandū induxerit. Rursus per
præcepta discurrat, ea tantum pe-
tendo, quæ ante omiſſa, in con-
fessione fuerant. Personarum qua-
litatem consideret, an docti, ve

simplices. caueat circústantiarum
numerú superfluú in peccatis car-
nis exquirere. Demú satisfactiõne
ei salutarem, pro culpá modulo
prudéter impédât, deinde absoluat

*De Sacramenti Pœnitentiæ effe-
ctu. Cap. 20. 21.*

Q Vicunque post rationis v-
sum mortaliter peccauit,
semel saltem in anno con-
fiteri tenerur, vt monemur c. vtri-
usque sexus, de pœnit. & remiss. Et
quamuis in toto anni circulo cõ-
fessionis tempus determinatum
minimè habeatur, in Paschate ta-
men cum quilibet communicare
debet propter tanti Sacramenti re-
uerentiam ritè confiteri poterit.
Quod si prius illo anno fuerit cõ-
fessus, & mortali culpa tunc non
grauatur (remoto scandalo) in
Paschate sine confessione digne

commu-

communicabit. At si anno transacto non fuit confessus, peccat mortaliter, & sub eadem peccati pœna ex tunc confiteri tenetur, toties quoties commoda confitendi se obtulerit occasio: vti Tolletus ipse lib. 6. c. 18. clarius ostendit. Pœnitens non tenetur sigillo confessionis, sed ad libitum potest sua peccata reuelare, ac etiam pœnitentiam impositã pro palare, modo absit suæ famę, vel confessarii neglectus. Necessitate urgente, cum mortis imminet periculum, vt tempore belli, vel cum nauigio est iter facturus, plures vni confiteri simul ritẽ poterunt. Si autem circa aliquod peccatum sint doctorum contrarię opiniones vtrinque probabiles: & pœnitens diuersam à confessario sustineat: confessarius debet ei cedere, & absolutionem impendere. Effectus huius sacramenti sunt culpæ remissio, gratiæ collatio, vel

iusdem augmentum in habente:
remissio pœnæ æternæ quam in
temporalem commutat, & hu-
ius temporalis pars deletur,
cum pœnitens confessio-
ni rursus subditur, ea-
dem peccata cõ-
fitendo.

Finis Tertii Libri.

